

muniendi, struxere muros in pace, tamquam ad bellum, magna colluvie, et ceterarum urbium clade aucti: nam pervicassimus quisque illuc perfugerat, eoque seditionis agebant. Tres duces, totidem exercitus. Extrema et latissima moenium Simo, quem et Bargioram vocabant, medium urbem Ioannes, templum Eleazarus firmaverat. Multitudine et armis Ioannes ac Simo, Eleazarus loco pollebat. Sed proelia, dolus, incendia inter ipsos, et magna vis frumenti ambusta. Mox Ioannes, missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manumque ejus obtruncarent, templo potitur: ita in duas factiones civitas discessit, donec, propinquantibus Romanis, bellum externum concordiam pareret.

XIII. Evenerant prodigia, quae neque hostiis, neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visae per coelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne conlucere templum. Expassae repente delubri fores, et audita major humana vox, *Excedere Deos:* simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant; pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur; quae ambages Vespa-sianum ac Titum praedixerant. Sed vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum, omnis aetatis, virile ac muliebre secus, sexcenta millia fuisse accepimus. Arma cunctis, qui ferre possent; et plures, quam pro numero, audebant. Obstinatio viris seminisque par: ac, si transferre sedes cogerentur, major vitae metus, quam mortis. Hanc adversus urbem gentemque Caesar Titus, quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Dividuntur legionibus munia, et quies praeliorum fuit: donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres, aut novis ingeniiis, struerentur.